

Wladislai Loctici confirmatio venditionis ville
Szawlowicze, Joanni castellano Crusviciensi.

In nomine Domini amen. Quod magnifica principis
pium decrevit auctoritas, ratum ac stabile debet
permanere. Nos igitur Wladislaus Dei gratia dux
regni Poloniae, Cracoviae, Sandomiria, Siradia, Lanci-
cie, Cuiavieque, ad notitiam tam presentium quam
futurorum harum serie literarum volumus deve-
nire, quod cum fideles nostri servitores Heusta-
chius et Joannes fratres Dulevici, in nostra no-
strorumque baronum presentia fuissent constitu-
ti, non vi, nec metu, sed spontanea voluntate in pu-
blico protestantes sunt professi, sortem quae ipsos
contingit Szawlowicze nominatam, cum agris, pra-
tis, pascuis, lacu, et omnibus aliis utilitatibus quae
nunc sunt pertinentes eidem sorti, vel esse pote-
rant in futuro, pro duodecim marcis Torunensi-
bus vendidisse comiti Johanni castellano Cruswi-
censi, sibi et ipsius legitime posteritati in per-
petuum iure hereditario resignantes. Promiser-
unt etiam dicti Heustachius et Joannes, comi-
tem Johannem, a tribus suis sororibus convincere
et penitus extricare, si ipsas, vel aliquam ex eis
continget dicto comiti Johanni de eadem sorte mo-
vere questionem. Ad maiorem autem firmitatem
et cautelam, ut comes Joannes et posteri eius
sortem dictam possiderent pacifice et quiete, domi-
na Swenthoslawa consors Joannis fratris Eustachii

prae-notati

prænotati, obligatione fideiussoria obligavit se in
hunc modum, quod si Ioannes maritus eius, et
Lustachius prænotati cum sororibus ipsorum, per
eandem comiti Joanni mota questione, vel liber-
is ipsius, sortem iam dictam evincere non vale-
rent, ex tunc eadem Swoethoslawca, comiti Joan-
ni, vel natis eius, pecuniam præfatamolvere
tenebitur ex integro, ipsâ autem pecuniam solve-
re non valente, hereditatem suam Baranow, que in
ipsam contingit ratione dotis, ipsi domino Joanni
et successoribus suis iure hereditario in perpetu-
um tenebitur resignare. Nos vero dicta sortis ven-
ditionem, resignationem et fideiussionem, factam
domino Joanni, ac eius liberis, habentes ratam,
presentibus confirmamus. In cuius rei testimo-
nium presentibus nostrum sigillum fecimus ap-
pendi. Actum apud Brzesce anno Domini mil-
lesimo trecentesimo decimo sexto, in Pascha condu-
ctu. Presentibus testibus: Miklone Cuiavien-
si, Joanne Lancieni palatinis. Polubone Brestensi,
Bogussio Pomeranie iudicibus. Sethegione sub-
iudice Brzestensi, et alijs pluribus fide dignis.
Datum per manus domini Petri scolastici San-
domiriensis notarij curie nostre. ~